cum ferocitate ac robore sit, nemini eum, nisi
lacessitum nocere maximè admiror; imò pro=
desse quam plurimum: sibi enim se primum, deinde
alijs, vitæ conservatorem, ægritudinis medelam, ægro=
rúmque medicum præstantissimum exhibet. Si enim
ambrosio largiùs se nectare inebriaverit, ut
ventriculo cruditates, inflationes, tormina,
morsus, lancinationes; capiti suffusiones, maligni
humores, nebulæ ac vertigines hinc causentur,
mox ad formicarum acervum accedit, terram egerit,
humidam inserit linguam, formicisque benè refertam
educens deglutit, hócque farmaco iuxta monitum
Sapientis stomachum purgat, abundantiámque
escarum à se rejicit. Aliud antidoti genus ad
easdem ægritudines propulsandas non tam carum, sed
æquè ad comparandum vilissimum, quam saluberrimum
usu, fructuque omnibus adhibet: adveniente hyeme
herbam sibi notam, quæ longissimum provocat somnum,
commedit, mox speluncam ingrediens sopore de=
pressus profundissimo, hybernis mensibus assiduò
conquiescit, nullum victum admittit; ieiunio, inedia
et continuata abstinentia, ita noxios frigidósque,
(quibus abundat) humores consumit, vires omnes,
ac debile imprimis cerebrum confortat, ac reficit,